



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1634**

34. Aurus diues: Ex D. Cypriano, Epist. z. I. I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

suspiciatus fuerit offensum, non est exorabilis. Si aquam calidam tardius attulerit puer Alexandrinus, iubetur continuo trecentis affligi verberibus. Si crystallum fregit, ad murenas exclamat. Homines per diem quingentos occidere, idem est apud Busridem, ac tesseriis ludere. Deinde ille ebrius, non tam vino, quam cruore miserorum, exclamat, *Aut Casarem oportet esse, aut fatuum.* Parum est, sauire in homines, ni compedes oceano iniiciat; iacula immittat in solem; fluuijs plagas inurat; Ionis quotquot sint simulachra, eadem capite truncari, & suam ceruicem imponi mander. Quoties cum ipso Ioue iurgatur, quoties illi luccenat; quoties exilia, & vltimos Gedrosiorum tractus minatur: nisi pluat, aut tonet, aut serenum faciat, quando ipse voluerit? Quid quod nuptiarum pompam adornat, & Mineruam, aut Lunam de caelo lapsam iri, in suos amplexus auemat? stultus, qui non videat, se eandem in capite gerere. Quid quod ipse deses, & imbellis, & effeminatus, cum conchis, & margaritis bellum gerit, dein spolia vocat Capitolio, Palatioque debita, & apparatusissimos triumphos instruit, quasi Phraatem, aut Aruiragum ad genua supplices admiserit?

Ad summum, cum se omnium hominum, qui sunt, fuerunt, aut futuri sunt, sapientissimum dicitur, vnum ferme versiculum tenet, quem sapientissime habet in ore:

*Sic volo, sic iubet, sit pro ratione voluntas.*

Aur si quos alios nouit, Megabyfia sunt ex tragædijs ducta, quibus vehementer delectatur, vt, Calcare caelum restat, &c.

### AVARVS DIVES.

Ex D. Cypriano, epist. 2.  
lib. 1.

Descriptio XXXIV.

**S**ED & quos diuites opinaris, continuantes saltibus saltus, & de confinio pauperibus exclusis, infinita, ac sine terminis ruralitius porrigentes, quibus argenti & auri maximum pondus, & pecuniarum ingentium vel extructi aggeres, vel defossæ strues; hos etiam inter diuitias suas trepidos, cogitationis incertæ sollicitudo discruciat, ne præ-

do vaster, ne percussor infestet, ne inimica cuiusque locupletioris inuidia, calumniæ litibus inquietet. Non cibus securo, somnuse contingit; suspirat ille in conuiuio, bibat licet gemma; & cum epulis marcidum corpus thorius mollior alto siuu condiderit, vigilat in pluma, nec intelligit miser, speciosa sibi esse supplicia, auro se teneri alligatum, possideri magis, quæm possidere diuitias, atque opes. O detestabilis cæcitas mentium, & cupiditatis insanæ profunda caligo, cum exonerare se possit, & leuare ponderibus, pergit magis fortunis augmentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adherere: nulla in clientibus inde largitio est, cum indigentibus nulla partitio, & pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam sollicito labore custodiunt; ex qua, non amicis, non liberis quicquam, non sibi denique impertiunt. Possident ad hoc tantum, ne possidere liceat alteri. O nominum quanta diuersitas: bona appellant, ex quibus nullis illis, nisi ad res malas usus est.

### AVARVS, ET TENAX.

Expressus ex Theophrasto, Plauto,  
& cæteris.

Descriptio XXXV.

**S**ORDIDUM hominem, vel potius portentum hominis, si iubet, intueri; vt vestes habet strictas, easque aruitas, & tot interpolatas vericoloris us panniculis, quot sunt in cribro foramina. Cerne, vt loculos habet situ obstitos, clauces ferrugine illitas, oppletas araneis ades, vt ipse capite est, vsque ad cutem raso, ne sapius tonsoris opera indigeat: vt domi nudis pedibus obambulat, ne quid interim calceos dederat; citius ex pumice aquam, quam ex eo elicueris beneficium. Agrum quotidie inspicit, an limites eodem loco maneant immoti, ficum de suo hortu neminem gustare sinit, acinnum per suum fundum transire, aut vllum cadium pomum tollere; ignem in ardibus extingui iubet, ne quis corroget testula: & si quis forte vicinorum (vt sæpè fit) cultrum, securum, pistillum, mortarium, aut aliquid simile vtendum rogitet, fures venisse dicit, at-